

Q V A E S T I O VI.

An Deus sit universale?

1. Ita videtur: Universale namque est, quod pluribus inesse aptum est, quod de pluribus praedicari aptum est: Deus est in pluribus, nemp̄ in tribus personis, & de iis praedicari aptus est. Dico namque recte, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus. E. Deus est universale respectu trium personarum.

2. Sed respondetur ad majorem. Non omne illud universale est, quod quovis modo pluribus inest, & de illis praedicatur, sed requiritur, ut in illis multiplicetur secundum rem, sive ut illa in quibus est, & de quibus praedicatur, sint plura, sub nomine & conceptu hujusmodi universalis, sicuti natura hominis multiplicatur in individuis humanis, & homines sunt plures sub nomine & conceptu hominis, ita ut recte dicam, Petrus & Johannes sunt duo homines: sed non sic Deus respectu trium personarum. Non multiplicatur divina natura in tribus personis, non sunt plures sub nomine & conceptu Dei. Hinc non dicere possum. Pater, Filius & Spiritus S. sunt tres Dii, quæ omnia tanquam probata à Theologis presupponimus.

3. Similiter Deus est unus numero. E. non est universale. Numero enim unum & universale opponuntur. Unde concludo, cum praedicatur Deus de Patre, Filio & Spiritu sancto, nec praedicari ut genus, nec ut speciem, nec ut differentiam, neque ut proprium, neque ut accidens.

Q V A E S T I O VII.

*An aliquid de Deo possit demonstrari
à priori?*

Affirmamus. Neque obstat, quod objicitur, in Deo nihil dari priùs, nihil posterius; vel in Deo non dati causam & effectum. E. de Deo nihil posse à priori demonstrari. Quamvis enim in Deo non detur priùs & posterius secundum rem, datur tamen secundum rationem sive secundum nostrum